

XVIII

démiam. Venit igitur ad nos, Boehmio rectore, a quo est in civium nostrorum numero scriptus. Hic magistris usus est in Philosophia Platnero, in Mathesi Bortzio, in excolenda, veterum auctorum lectio-
ne, latinitate Cledio, Hebenstreitio, Zeunio; in Physica Funcio et Ludwigio. Cum se autem Medicinae in primis dedisset, Decano eius Ordinis, Plazio, in primis adhaesit, de cuius amore atque bene-
volentia vehementer laetatur. Fuit vero etiam inter auditores Pohlii, Bosii, Gehleri, Krausii, Haasii, Platneri, Pohlii iunioris, Leon-
hardi et Leskii, cum illi varias medicae artis disciplinas traderent,
aut discipulos quaestionibus propositis tentando erudirent. In eunte
mense Nouembri, anni proxime praeteriti, primum diligentiae p-
remium, Medicinae Baccalaureatum: his ipsis diebus alterum, ab in-
cluto Philosophorum Ordine tulit, qui rite tentatum, Philosophiae et
Artium Magistrum, diploma publice proposito, declarauit.

JACOBVS FRIDERICVS KEE
LIPSIENSIS

Juris utr. Baccalaureus, Aduocatus immatricul. et Notar.
publicus Caesareus.

In hac urbe natus anno MDCCL. patrem colit Jacobum Frideri-
cum, virum singulari et eximia virtute inclytum, Sereniss. Elect.
Saxon. in administrandis aerarii e Capitulis Numburgensi atque Ci-
zensi redditibus a consiliis; matrem Joannam Christianam, Godofre-
di Graevii, J. V. D. et Senatoris olim Lipsiensis, filiam, matronam
omnibus sui sexus decoris ornatissimam. Hos sibi parentes optimos
Dei O. M. beneficio contigisse, esseque saluos adhuc atque incolu-
mes, summopere lactatur; in hoc elaboratus, ut, quem a puero
summis beneficiis complexi essent, filius, pietate et obsequio, virtute
atque doctrina, respondeat. Prima discendi initia fecit magistro
Hechtio; mox graecis latinisque litteris discendis, Leisnero, Moro,
tandem et Ernestio usus est. Anno MDCCXLVIII. Academiae
ciuis scriptus, rectore Boehmio, philosophiam omnem in scholis
Winkleri arripuit; doctrinam morum, Logicam, et disputandi artem,
Morus; Bortzius et Riedelius mathesin docuerunt. Clodium, Ho-
ratii